



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Symbola Trinitatis, Id Est Trinitatis diversarum rerum, ex
Veteris ac Novi Testamenti Scripturis, Historijs &
exemplis; nec non congruentioribus rerum naturalium
similitudinibus conscripta ...**

Duplan, Theodore

Ruraemundae, 1663

25 [i. e. 45]. Triplex perfusio aqu[a]e super holocausta, & quid allegoricè
significet.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12221

SYMBOLUM 44.

*Elias super filium mulieris Sareptanæ tribus vicibus mensus est.
3. Reg. 17. habetur pro Symb. apud Dion. Richel. in expos.
l. c.*

Incubat ex animi puero curvatus Elias,
Se puero similat, ter repetitque vices.
Ista figura brevis quid denotat? anne stupendum

(a) Divini verbi se breviantis, opus?
(b) Per Triadem fit vita redux; ut redditus iste
Est vitæ ac Matri, vate precante, (c) puer.

(a) Est allegoria ad Christum, pro genere humano sopito peccatis; orantem patrem pro re-
vivificatione; quem pater pro sua reverentiâ exaudivit; atque in sua incarnatione, predi-
catione, & passione se eidem misericordissimè coaptavit (b) Expandit se ter Elias, ad in-
solvendum superbeatissima Trinitatis mysterium, cuius virtute, & fide postulavit obtine-
re supernaturalem illum effectum. Et quoniam universorum entium operumque perfectio
in quadam trinitate consistit. Richelius in loc. sup. cit. (c) Refert S. Hieron. quod puer iste
suscitatus, habeatur ab hebrais, Jonas propheta.

SYMBOLUM 45.

Triples perfusio aquæ super holocausta.

*Item trium patrum nuncupatio 3. Reg. 18. de symbolo trium pa-
trum dictum est supra.*

Vatum grex Baalim clamoribus æthera complet,
Obserrat his aures, continet ora Baal.

Sacrâ dêin melior vates parat igne cremanda;

(a) Ter quoque mactatum diluit amne bovem.

Annuit alma trium (b) Trias excita nomine patrum,

cum

Cum bove ter fufas corripit ignis aquas.

[a] Est allegoria ad corpus Christi in Sacramento altaris, super quod effusio aqua interioris & ignita in anima ter devotè est faciendâ; in præparatione ad offerendum, in ipsa oblatione, & post in gratiarum actione: sicquè sequitur infusio Spiritus S. qui est ignis consumens, & in se absorbens devota corda per charitatem. (b) Tres Patres, id est, Abraham representans Patrem, Isaac Filium, Israël Spiritum sanctum, qui ex Abraham per Isaac, id est, ex Patre per Filium procedit.

SYMBOLUM 46.

Tres Iesus seu Salvatores in veteri Testamento

Scil. Iosue Dux, Num. 13. qui vocatur Iesus Ecclesiastici 46.
 Alius Iosue Pontifex, 1. Esdre 3. qui nominatur Iesus Eccl.
 49. Tertius auctor libri Ecclesiastici, qui sic nominatur Eccl.
 50.

(a) **N** Unnitas, (b) Josedechitas (c) Sirachitas (d) J-esus,
 [e] Symbola venturæ ternæ salutis habe.

Dux Josue; summo fuit alter honore Sacerdos;

Doctor erat Syrach: tres patriæne patres?

Tergeminos unus superas [f] o Christe: Sacerdos,

Doctor eras mundi, Ductor ad astra simul.

(a) Filius Nun. (b) Filius Josedech. (c) Filius Syrach (d) J-esus apud Græcos est trisyllabum, eò quòd Jota apud eos sit vocalis, qua apud Latinos est consonans. Iesus autem est idem quòd Josue, vel Messias, vel Salvator. (e) & (f) proprium nomen verbi incarnati est nomen Iesus, dicit S. Aug. tract. 3. in 1. Epist. S. Ioan. Unde ait Bernardus serm. 15. in Cant. Veteres Iesus inanibus nominibus gloriosos esse; nec enim veram salutem præstitisse, sed adumbrasse. Hanc solus præstitit Iesus noster.